

rum copiarum præfetus , dum inermis paucis comitatus Mirandulæ moenia adequitat , falconis ictu equo , cui insederat , in caput percusso , humi procubuit : cum pondere se explicare non posset , ab Helvetio , italicæ linguæ ignaro , copiarum licet imperatorem se prodente , caput alabarda disiectum ; ab alio pectus hasta tranfixum est . Intra oppidum trahere nitenibus , globus militum supervenit ; gravi certamine oborto , cadaver hostibus ademptum in castra a suis relatum est . A Camillo Ursino , qui ex pactionibus munitiones circa Mirandulam erectas deserere cogebatur , Cæsareani , ac Galli certatim , ut sibi concederentur , petiere . Cum Ursinus kal. maji se discessurum , atque iis , qui primi occupassent permissurum diceret , Galli valida militum manu adorti , solo æquavere .

Interea dum ea , quæ diximus , in Germania geruntur , Henricus , Lantgravii Hessiae , ac Mechelburgi filiis obsidibus receptis , ut copiæ , quibus Anna Memorantius præterat , Tullum Lotharingiæ oppidum contenderent , jussit : quadraginta peditum , novem equitum millibus constare ferebantur . Henricus , Tullo , ac Viroduno occupatis , Metim adortus deditio ne recipit ; armatus Tullum ingreditur ; præsidio Gallorum im posito , Nancæum , præcipuum Lotharingiæ oppidum , adit ; Vademontio , defuncti Ducis fratre , exceptus , Claudia filia , quæ nondum quatuor annos excesserat , Duci , novem anno rum puer , despensata ; eoque ad educandum in Galliam mis so , & Lotharingia in clientelam suscep ta , discessit . Mox lustrato exercitu , Metim victor ingreditur , cives sibi sacramen to obstringit , ac licet commeatibus exercitus laborare cœpisset , atque Mauritium Lincium , ut de pace ageret , profectu rum cognovisset , iter ad Rhenum intendit , tum ne ulla in re foederi defuisse socii conquererentur , tum ut eis aciores stimulos adderet , aut saltem , æquioribus conditionibus concordia inita , sibi arctius devinciret . Verum , ne Rhenum trajiceret , opportunius sibi esse Germani putabant , vel ut Belgarum auxilia a Cæsare averterent , vel quod sibi propriis viribus sat subnixi viderentur . Ad Argentoratum vero ubi Henricus pervenisset , subsistere est coactus , cum cives iis , quæ Metensis bus acciderant , commoti , exitum eorum , quæ a Mauritio de pace agitabantur , præstolari se dicere nt , legato ad Regem misso ,

*Henrici
Gallia Regis
progres
sus .*

*Lotharius
gia a Galli
incli ente
lam suscep
pta .
Henricus
Rex Merim
ingreditur .*